

nie partem in suam potestatem redegisset; atque ex animi pe-
dore martem adhuc spirans, Zigaretum extinctus occupasset.
Nec esse cur Melitæ successu deterritus, a Cypro abstineret,
immo notam, si qua ea ex re Turcico nomini iniusta foret,
delendam esse. Inanes concordie, ac pacis conditiones, regnan-
di, atque imperitandi legibus subesse. Quis vero existimet (in-
quit) immensis potentissimi Regis opibus, ac viribus Venetos
diu obsistere, tantoque maris intervallo dissitam in faucibus Ci-
licie insulam tutari posse? At reliqui Christiani Principes ad
juvandam Venetam Rempublicam auxilia, atque arma confe-
rent. An Maximilianus Imperator inducias nuper factas, Zi-
gheto amisso, infaustis præteritarum cladum successibus perter-
ritus, violabit? An Carolus Gallie Rex, qui semper Ottoma-
norum Principum amicitiam magnificet, Gallia intestinis dissi-
diis, atque civili bello laborante, suppetias feret? Quæ porro
auxilia a Pontifice expectent, cui neque pecunia, neque clas-
sis, neque triremes adsunt? Unum Philippum Hispaniæ Re-
gem superesse, Belgico, atque Hispanico bello distentum, alio-
rum potius opibus egentem, quam ut præsto aliis esse possit.
Subsidia si quæ collaturus est, longinqua, atque ex gentis mo-
re tardiora; suspectam Hispanorum propter ea, quæ superiori-
bus annis ad Nicopolim accidere, fidem. Quid igitur cunctan-
dum? cur ea, quæ jam manu tenetur, victoria ignave dese-
renda est, cujus fructus, atque emolumenta manifesta adeo
sint, ut longiori sermone non egeant?

Hac Multaphæ oratione jam Cypro obtinendæ cupiditate in-
flammatus Selymi animus, adeo est permotus, ut, omni cun-
ctatione abjecta, statim expediri triremes, Græciæ peditatum,
atque equitatum ad Chypsalam, Thraciæ oppidum, convenire
iusserit; ut copiis in ampla earum regionum latitudine colle-
ctis, in Phrygiam transfretaret, atque inde recto itinere in Ci-
liciam e regione Cypro contenderet. Cum vero ex Marci An-
tonii Barbari literis Senatus certior esset factus, bellum a Sely-
mo in Cyprum decretum esse, cunctatione abjecta, qua hucus-
que hæsitabundi inter pacis spem, ac belli metum Patres fue-
rant, sedulo delectus militum habere; oppida, urbesque ma-
ritimas communire; navigia omnis generis instruere. Valida
subsidia in Illyricum missa, quod Turcas excursions agere, &

1575

Selymus
bellum ad-
versus Ve-
netos decernit.

Marci An-
tonii Bar-
bari literæ
de Cypro ex-
peditione.
Venetorum
bellici appa-
ratus ad
bellum Tur-
cicum exci-
piendum.